80

Omnibus Christi fidelibus per Cremonensem diocesim constitutis. Guil(lelmus) miseratione divina tituli sancti Marci
presbiter cardinalis apostolice sedis legatus salutem in domino. Ad cultum divini nominis ampliandum et
alia que ad salutem respiciunt animarum tanto magis nos esse convenit sollicitos et atten-
tos quanto ex iniuncte sollicitudinis nobis cura sumus ad ea fortius obligati. Cum igitur ad
edificationem fabrice ecclesie et claustri beati Guilelmi ordinis fratrum predicatorum Cremonensium
nulle sint penitus facultates nisi quod caritative sibi a Christi fidelibus erogatur. universitatem
vestram rogamus. monemus et exhortamur in domino atque in remissionem vobis iniungimus
peccatorum. quatinus locum ipsum frequentius visitantes pias ibidem elemosinas et grata
caritatis subsidia erogetis. ut per subventionem vestram tam pium opus ad finem
laudabilem perducatur. et vos orationum et beneficiorum que ibi iugiter fiunt effecti
participes per hec et alia bona que domino inspirante feceritis sempiternum
mereamini premium obtinere. Nos enim ad subsidium huius operis pietatis
[in]tuitu ex iniuncto nobis officio duximus providendum. ut quicumque detinens
aliena ea debeat ad hoc opus. ab huius peccati mole sit penitus absolutus
dum modo nesciat cui persone illa reddere teneatur. Ad hec si quis votum
aliquod voluerit commutari. si id quod per venerabilem patrem . episcopum . et . priorem
predicatorum fratrum Cremonensium propter hoc taxatum fuit huic operi exhibuerit
sit modo simili absolutus. excepto tamen a commutatione huiusmodi voto
crucis et compromisso in his duobus articulis ut qui hec fecerit a suis sacerdotibus
penitentiam de peccatis suis suscipiat salutarem. Ut autem non solum
predictos set et alios ad opus predicte fabrice propensius invitemus nos de
omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi
omnibus vere penitentibus et confessis qui usque ad consummationem ecclesie et claustri
predictorum de suis bonis pias eidem loco elemosinas duxerint erogandas
.xl. dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.

Dat(um) Laude [illegible] vi idus maii

Universitäts- und Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 2 (80)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1753160944-11/fragment/page=1
DFG

Indulg[entia] ... [quadra]ginta dierum
... fabrice eccl[esi]e s. Juliani
concessa a Gaufrido S. R. E. Cardi-
nali ... Legato a latere
Gregorii IX ... [illegible]
... in Longobardia A. 1238

Merseb. 2 (80)

LXXX.a

80

Omnibus Christi fidelibus per Cremonensem diocesim constitutis. Guido miseratione divina tituli sancti Marci presbiter cardinalis apostolice sedis legatus salutem in domino. Ad cultum divini nominis ampliandum et alia que ad salutem respiciunt animarum tanto magis nos esse convenit sollicitos et attentos quanto ex iniuncte sollicitudinis nobis cura sumus ad ea fortius obligati. Cum igitur ad edificationem fabrice ecclesie et claustri beati Gulielmi ordinis fratrum predicatorum Cremonensium nulle sint eis proprie facultates nisi quod caritative sibi a Christi fidelibus erogatur, universitatem vestram rogamus, monemus et exhortamur in domino atque in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus locum ipsum frequentius visitantes pias ibidem elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram tam pium opus ad finem laudabilem perducatur, et vos orationum et beneficiorum que ibi iugiter fiunt effecti participes per hec et alia bona que domino inspirante feceritis sempiternum mereamini premium obtinere. Nos enim ad subsidium huius operis pietatis intuitu ex iniuncto nobis officio duximus providendum, ut quicumque detinens aliena ea dederit ad hoc opus ab huius peccati mole sit penitus absolutus, dummodo nesciat cui persone illa reddere teneatur. Ad hec si quis votum aliquod voluerit commutare, si id quod per venerabilem patrem .. episcopum et .. priorem predicatorum fratrum Cremonensium [?] hoc taxatum fuerit huic operi tribuerit, sit modo simili absolutus, excepto tamen a commutatione huiusmodi voto crucis et proviso in his duobus articulis ut qui hec fecerit a propriis sacerdotibus penitentiam de peccatis suis suscipiat salutarem. Ut autem non solum predictos sed et alios ad opus predicte fabrice propensius invitemus, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui usque ad consummationem ecclesie et claustri predictorum de suis bonis pias eidem loco elemosinas duxerint erogandas .xl. dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. Laude [?] vi idus maii.

Morbio 2 (80)

Universitäts- und Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1753160944-11/fragment/page=3